

DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis decimâ-octavâ mensis Novembris, Anno Domini M. DCC. LVI.

M. PETRO JOSEPHO-MORISOT DESLANDES,
Doctore Medico, Præside.

An ut è Pulmone, sic è Liene sanguis fluidior?

I.



SANGUINEM omnium humorum qui in circulum moventur, crassissimum rectè dixeris: sani hominis cruor è vasis prorumpens, & humi fusus, in massam scissilem statim concrescit; quasi fluiditatem perosus, solidi corporis indolem affectaret. Quod ne contingat, Natura semper providens irrequieto motu sanguinem torquet, viscosisque ejus moleculis serosas partes intimè miscet. Sic sanguinem vel invitum ad fluiditatem cogit. Id autem in vasis pulmonaribus præcipuè fieri, nemo diffitetur. Crassissimus enim sanguis à toto corpore redux, ut pote à causâ movente remotissimus, vehiculoque diluente orba-

tus, inibi novo cum hospite chylo intimè permisceri amat; partes ejus heterogeneæ reciprocè premuntur, pelluntur, conquassantur, atteruntur; sicque canalibus trajiciundis adaptari debent omnia quæ per pulmones fluunt. Nec mirum: sanguis enim in pulmone immediatam experitur cordis actionem, proximumque trunci arteriosi renixum; quo cessante, en novus à tergo hærentem urget cordis impetus. Hoc confirmat autopsia; ter enim & quadragesies velociùs ferri sanguinem per pulmonis arteriolas, quàm per arteriolas musculorum ejusdem animalis, demonstravit Halesius (*a*). Hinc sanguis è pulmone redux, novâ nitidus juventâ, purpurâque decorus, verè vitalis latex dicitur. An verò parem retinet fluiditatem cruor, qui mox per Portarum venam in hepar propelletur, ibi sanguinis arteriosi munere functurus?

(*a*) Halesc. exp. 10. hæmostat.

I I.

PORTARUM venam arbori similem dixerunt Antiqui, radicibus, trunco & ramis instructam. Radices efformant venarum innumeræ propagines, quæ sanguinem ex visceribus chylopoieticis refluum ad sinum venæ portarum devehunt. Mirabilem hîc metamorphosim cernere est. Venæ Portæ, ad Portas usque, ubi truncum arboris effingit, vena quidem est: at eadem, trans Portas, neque corde salutato, neque pulmonibus, dignitatem & munus arteriæ consecuta, in ramos, ramusculos infinitos & arboriformes per totam hepatis substantiam dividitur. Quot igitur ex hâc fabricâ, sanguini per hepar fluenti, nectuntur moræ? Quot superandi obices? Prætereà sanguis venosus qui ex ventriculo, intestinis, mesenterio, omento, pancreate redit, jam à centro motûs remotissimus, tot secretiones passus, proindeque diluente vehiculo depauperatus, propior est ut concrescat; aut saltem liquido, arteriarum more, secernendo impar omninò foret, nisi præsto adesset machina quæ tantam huic sanguini, quanta est in sanguine arterioso fluiditatem conciliaret. Hæc autem machina Lien est.

I I I.

LIEN in sinistrâ & superiori abdominis parte situs, à diaphragmate pendulus, omento, sinistro reni ventriculoque adhærescens, viscus est molle, pulposum, linguæ bubulæ figuram referens. Coloris est atrorubentis peculiariquè membranâ, à peritonæo oriundâ, instruitur, cujus beneficio prædictis partibus connectitur. Innumeris constans vasorum propaginibus, accipit purum, arteriosum mox à corde expulsum sanguinem ex primâ arteriâ notabili sub septo ortâ, nempe Cœliacâ (*b*). Lienis autem arteria, splenica dicta, jecorariâ (*c*) incredibili mensurâ major, per totam ejus excurrens substantiam, mox in minores ac minores ramulos dividitur, ex quibus innumeræ prodeunt venarum radices quæ in unum collectæ, truncum constituunt splenicum; unde in venam Portarum sanguis exoneratur. Multis (*d*) etiam & magnis instruitur nervis, ab intercostali trunco oriundis; nec desunt vasa limphatica, at in homine pauciora (*e*) quàm in brutis.

Sructuram autem Lienis vasculosam esse cum Ruyschio asserere non dubitamus, quidquid in contrarium adducat Malpyghius. Liquidò enim demonstravit, ea quæ à Malpyghio dicuntur glandulæ, corpuscula, nihil aliud esse (*f*) præter vasorum glomeratorum aggeriem. Hinc fabricam Lienis multò quam vulgò creditur, simpliciorem esse attendenti obvium erit. Tota enim in homine ex arteriis venisque conflata videtur; sanguisque ab arteriis in venas, directâ propellitur viâ. Nunc quid venæ Portarum sanguini præstet Lienis fabrica, situs, moles, vicinia, suspensio, eruere non arduum.

(*b*) Boerh. inst. n. 314.

(*c*) N. 315.

(*d*) N. 322.

(*e*) Ruysch. de vas. lymph. cap. 3.

(*f*) Thes. anat. 7. n. 31.

I V.

PULMONEM inter & Lienem non minima intercedit ſimilitudo. Uterque compreſſilis, expanſilis uterque. Lien, uti Pulmo, emiſſarium peculiare non habet. Utrique enim pro emiſſario eſt vena ſanguinem revehens. Quemadmodum autem pulmo totius corporis ſanguini elaborando, attenuando, fuit à Naturâ fabrefactus; ſic non inanis conjectura eſt, ſapienti pariter naturæ conſilio, Lienem comparatum eſſe alterationi ſanguinis bile mox, in hepate, ſpoliandi; ita ut *ſecundam quaſi pulmonis efficaciam experiatur, ſicque Lien ſit ſolius hepatis Pulmo* (g). Cruor enim fluidiſſimus, limphâ dives, nullas interim ſecretiones paſſus, mox in arteriam Lienarem è corde ſiniſtro per Aortam, maximo cum impetu, propellitur. Hinc minimos peragrans arteriæ ſplenicæ ramulos, ſepti tranſverſi agitatione, viſcerum muſculorumque abdominalium motu, undique comprimitur, attenuatur, in minores ac minores moleculas diſcerpitur, ſimiliaque ac in pulmonibus patitur. Ecquis nunc eat inficias ſanguinem è Liene regredi fluidiorem; cùm aliunde ex arterioſo Lienari nihil deceſſerit? Quibus de cauſis ſanguis ille fluidus, ſolutus, ſpiritibus ſcatens, limphâ luxurians, ægrè concreſcens, purpureus, ruber, conficitur, taliſque ex hoc viſcere per venam Lienarem in Portarum venam, pleno gurgite infunditur; ut oleoſum ſanguinem ex omento refluum ſolvat, ex inteſtinis ſalino-Alkalinum temperet, atque ex cæteris viſceribus craſſeſcentem diluat.

(g) Boerh. præl. Acad. §. 322.

Nec id ratiociniis eviciſſe ſatis ſit; noſtræ etiam ſuffragatur ſententiæ cadaverum violentâ morte peremptorum attenta inſpectio. Si enim, brevi poſt mortem intervallo, aperiatur cadaver, Lienoſus tunc ſanguis fluidior floridiorque obſervatur. (h) Mancas parumvè accuratas in cadaveribus obſervationes fortè quis objiciet: inpromptu ad experimenta in animalibus vivis facta tanquam ad ſacram confugiamus anchoram. *Si vena ſplenica,* inquit Heiſterus (i), *in cane aliove animali inciditur, ſanguinem tenuem, floridum, ſubtilem effluere & alii & ego ſæpe deprehendi, nunquam verò craſſiorem reliquo ſanguine venoſo.* Huic conſentit celeberrimus Fizes (k). *Sanguis è venâ ſplenicâ & ex ipſius ramulis prope ſplenem eductus, mihi & adſtantibus æquè floribus viſus fuit ac ſplenicus arterioſus.* Hic ſuum etiam calculum adjicit Hallerus. *Certum eſt me ſanguinem Lienalem nunquam polypoſum vidiſſe, ſed dilutè rubrum, qualis ferè in fœtu eſt, ſolutum & aquoſum; quæ ſi conferas cum ſummâ pigritiâ ſanguinis venæ hemorrhoidalis atque omentalis, ſuadere videntur attenuationem omnino ſanguini in Liene contingere* (l).

(h) Fizes de hom. Lien. ſan.

(i) N. 21?

(k) Fizes de Hom. Liene ſano.

(l) Not. (e) in præl. Acad. Boerh. §. 323.

Noſtræ etiam ſententiæ ſuffragantur obſervationes Pathologicæ. Dum enim diu noctuque libris impalleſcunt litterati homines, ſtatimque à paſtu ad amata redeunt ſtudia, quieſcunt, vix reſpirant, corpus incurvant ad libros, ſedentque immobiles. Ita per varios gradus ſpiſſeſcente Lienis ſanguine, ſeriùs ociuſvè hypocondriaci fiunt. Quanta tunc ingruat malorum cohors, quot quantiſque excrucientur morbis, docet frequentior experientia. Salaces, voraces ſunt, mingunt multa & aquoſa; flatibus torquentur; augetur, intumeſcitque hepatis moles; ſanguis lentiori motu, per vaſa hepatica fertur, ſtagnant liquida, obſtruuntur canales, parcior fit bilis ſecretio; unde malorum ilias pullulat. Quin imò in animalibus quibus auferetur ſplen, præter jam enumerata phœnomena, Bilem (m) caſeoſam, parcam, immeabilem & acerrimam obſervarunt Autores. Hinc, quod Pulmo ſanguini Aortæ præſtat, id Lienem ſanguini venæ Portarum tribuere, inconcuſſum manet.

(m) Valiſnerius, Oroſobius, Morgagnus, Pozius.

V.

DILUCIDATIS rationum momentis quibus assertionis nostræ veritas comprobatur, illam objectionibus convellere frustra quis conabitur. Quin & novum robur ab ipsis sumet adversantium ictibus. Quid enim sanguinem è Liene spissiorem nobis objiciunt, ex eo quòd disseminati per hoc viscus arteriæ rami, mirum in modum contorqueantur, totidemque sint obices quibus sanguis frangitur & in suo motu præpeditur. Verùm, licet in minores ac minores ramulos divisa arteria pulmonaris, mirum etiam in modum contorqueatur, nihilominus tamen fluidior floridiorque est sanguis è Pulmone redux. Nec dicant, sanguinem in circuitu suo per pulmones obeundo, à respirationis actione juvari. Lien inspirationis & expirationis tempore sive à diaphragmate sive à visceribus musculisque abdominalibus, vi alternâ, jugiter comprimitur. Sanguis, inquiunt alii, in Lienis cellulis, velut incarceratur, atque per hiantia ubique lymphatica, serosis suis partibus spoliatur. At pauciora sunt vasa lymphatica, nec quæ in interiora penetrent. Saltem, Achilleum videbitur ex solemni experientiâ petitum argumentum. *Animalia secuimus*, inquiunt, *& è venâ splenicâ (n) sanguinem obscurum nigerrimum, & maximè concrescibilem extraximus, dum arteria rutilantem & fluidissimum suppeditavit. Utroque in phialas transfuso, venosum subito concrescentem, & arteriosum maximè dilutum vidimus.* Hæreamus dubii sanè, si nostrâ dumtaxat nitamur experientiâ, at *Boerhaavius*, *Hallerus*, *Fizes*, *Heisterus* in experimentis suprà laudatis contrarium se se vidisse asserunt. Sic contraria nunc de irritabilitate partium à viris clarissimis circumferuntur experimenta, ita ut, non ut olim in physicis ratiocinia tantùm ratiociniis objiciantur, sed proferri jam undique incipiunt experimenta experimentis adversantia. Recentiores scilicet ad condendas hypotheses proni nimis, quæ occurrunt in experimentis minùs faventia præconceptæ opinioni, negligunt penitus, vel vi detorquent, sic ut favere videantur. Hinc ratione, experimentis, atque observatione suffulti concludimus.

(n) Quæst. Med. Quodl. *An sanguis è liene spissior*, 1748.

Ergò ut è Pulmone, sic è Liene sanguis fluidior?

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. *Claudius-Josephus Gentil.*	M. *Carolus Gillot, Legationis Gallicæ ad sanctam sedem Apostolicam Medicus ordinarius.*	M. *Nicolaus le Roy de Saint Aignan.*
M. *Edmundus-Thomas Moreau.*	M. *Honoratus Petiot.*	M. *David Vasse, Rei Herbariæ Professor.*
M. *Joannes-Baptista Thurant.*	M. *Ludovicus-Anna Lavirotte, Censor Regius.*	M. *Andreas-Josephus Seron, Regis Consiliarius & Rei Tormentariæ Medicus ordinarius.*

Proponebat Parisiis GUILLELMUS BERTHOLD, Salino-Bisuntinensis, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus, Theseos Auctor, A. R. S. H. 1756, A SEXTA AD MERIDIEM.

Typis Viduæ QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1756.